

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE! *AS.*

ENODATIO *1646*

LEG. VII. VIII. IX.

X. TIT. PANDECTARUM  
POSTREMI, *AM*

Quæstionibus materiæ subjectæ

convenientibus illustrata & ad disputandum

*In Celeberrimâ Academiâ Wittebergenſi,*

Ex decreto atq; Authoritate Amplissimi

Collegij Juridici proposita. *(3)*

*ab*

HENRICO COSELIO

de Pezlinovez J. U. D.

*Respondente*

PAULO BUCHNERO

STRALS. POMER.

*Habebitur*

*Ad diem XIII Augusti,*

horis & loco consuetis.

---

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLVI.



121

REG. VII. VIII. IX.

LIBRARIUS

ANNO

1710

1711

1712

1713

1714





## Lex VII.

**I**US nostrum] Romanum scilicet seu Civile. Hæc enim Regula in qua dicitur, eundem in paganis non posse & testatum & intestatum decedere desumpta est ex jure civili. §. *hereditas 7 vers nemo enim inst. de hered. instituendis*, quod omnino in testamentis paganorum observandum est, cum & testamenti factio quo ad formam, quæ dat esse rei, *l. Julianus 9. §. sed si qui veni. 3. D. ad exhibend. sic juris civilis §. sed cum paulatim 3. Inst. de testamento vid. Henon. disp. 7. ad 4. Libr. Inst. Imperial controvers. 1. sed in testamento militis, qui solet esse solennibus juris civilis solutus princip. Inst. l. 1. D. de testamento milit.* Jus Gentium satis est observare, ideoque nihil obstat, quo miles pro parte testatus, pro parte vero intestatus possit decedere *l. si miles. 6. D. dict. tit. l. quærebatur 19. ibid. l. de hereditate 19. §. filiusfamil 2. D. de Castrensi pecul. cum similibus.*

*Non patitur eundem in paganis*] Pagani à pagis, olim erant rustici sicut & ex vulgato loquendi usu, qui agriculturæ duntaxat operam dabant, & à militia arcebantur, ne armis assueti contra civitates eadem sumerent. Sed postea ex usu juris factum est, ut appellatio illa extenderetur ad omnes, qui militiæ sacramento astricti non erant, ubicunq; etiam habitarent, sive in urbibus, sive extra eas, iisq; opponerentur milites, ut fit in *l. quedam 14. D. de pœnis l. ult. D. ad l. Falcid. & ipsi militibus in l. siccitarum 17. §. si eodem 2. D. de testam. milit. l. filiusfamil. 26. D. de liber. & posthum. §. c. Vult. ad princ. Inst. de testam. ordinand. n. 29. Reinb. Bachov. ibid. n. 2. ubi vid* Ex quibus apparet vocabulum PAGANIS hoc loco ad differentiam militum esse positum, & homines saltem paganos denotare, qui videlicet in castris non degunt: quo sensu etiam accipitur. in *l. signorans 50. D. locat.* Minus convenienter igitur vocabulum illud de bonis in PAGO non in militia quæ sitis ab aliq;vibus accipitur, Præsertim cum constet veteranum, ad-



eoque militem de bonis in militia quaesitis pro parte testari non  
posse eo tempore, quo in castris non degit. *l. idem est. 13. §. sed jam  
veteranus 1. D. de testam. mil. add. princ. inst. eod. Forst. de successibus  
libro. 1 cap. 20. Hippolyt. à Collib. hic in princ.*

*Et testato & intestato decessisse*] testatus decessisse intelligitur  
is cum effectu, qui testamentarium heredem habet, vel in cujus  
universum jus heres scriptus ex testamento legitime facto succe-  
dit. E contrario intestatus dicitur non tantum is qui testamen-  
tum non fecit *l. 1 in princ. D. de success. & legitimis heredib.* aut facere  
non potuit, impeditus vel de facto, vel de jure, quia jure testari  
non potuit, ut pupillus, filiusfamil. &c. *arg. tit. inst. D. & C. Qui-  
bus non est permitt. fac. testam. & quamvis hi proprie intestabiles di-  
cantur: Attamen eos quoq; pro intestatis accipere debemus per l.  
1. D. de Suis & Legitim. heredib.* vel si testamentum condidit, tamen  
non jure fecit; quia non adhibuit solennitates à jure requisitas  
de quibus *in l. hac consultissima 21. C. de testam. &c. vid. omnino  
Schneidw. in princ. Inst. de hereditatib. que ab intestato deferuntur n. 14.  
per tot.* Sed etiam cujus ex testamento hereditas adita non est.  
*l. intestatus 64. D. de V. S.* quippe cum sine herede testamentum ex  
juris regulis intellectu percipi non possit heres autem omnium  
bonorum, *per l. hereditas 62. D. de R. Juris* intelligatur [nisi de qui-  
bus alteri quidquam à testatore fuerit relictum] quia defuncti  
personam repræsentat, ita ut voluntatem ejus ultimam omnino  
implere debeat. Quamobrem cui testamentarius heres est, is  
neutiquam intestatus regulariter esse potest, nisi forte per acci-  
dens ex postfacto quemadmodum in subsequenibus demonstra-  
bitur.

*Earumq; rerum naturaliter inter se pugna est testatus & intestatus.]*  
Cum jure civili minimè conveniat ut una eademq; res diverso ju-  
re censeatur, atq; capiatur *l. eum qui. 23. in princ. vers. quod absurdum  
D. de Usurpat. & Usucap.* sequitur nec hereditatem quæ res indivi-  
dua est *l. Pomponius 8. in fin. D. de R. Vindicat. vid. Hippolyt. à Collib. hic  
adeoq; unius defuncti personam repræsentat § servus etiam alienus  
4. instit. & heredib. instit. & hereditas 61. D. de A. R. D.* diversum suc-  
cessionis genus sortiri posse ita videlicet, ut pro parte testatorem  
referat pro parte non referat. Necessè igitur est, ut universa he-  
reditas

reditas vel ex testamento, vel ab intestato cuiusdam deferatur. Cum natura non patiatur, ut quæ pugnant inter se, in eodem homine seu subiecto concurrant. Præterea, si verum est, quod unius duo patrimonia non videantur *l. Jurisperitos 30. §. cum oriundus 1: in fin. D. de excusat. l. quod contra rationem 141 §. 1. D. de R. juris.* Sic unius defuncti duæ hereditates esse non poterunt *d. l. 141. §. 1.* Accedit & hæc ratio, quia cum hereditas sit universitas *d. l. 62. D. b. r. l. bonorum 208. de V. S. l. heres in omne 37. D. de acquirend. her. & testamentum sit dispositio de hereditate, necesse est, ut vel tota competat ab intestato, vel ex testamento arg. §. hereditas 7. inst. de hered. inst. Hippolit. à Collib. Johann. Neldell. ibid.* Deniq; testatus & intestatus cum sint invicem opposita nunquam de eodem simul verè dici possunt. Nam cum eorum quæ sine medio contraria sunt, alterū necesse sit in subiecto inesse, & de subiecto prædicari; testatus verò & intestatus immediatè sunt contraria. Sequitur quod simul in eodem concurrere regulatiter non possint *Pet. Faber hic n. 20. 21. & 22.* Rectissimè igitur *J. C. Pomponius.* Hic loci neminem paganum pro parte testatum & pro parte intestatum decedere posse, asserit. Quam regulam exemplo uno aut altero illustrabimus & tandem ejus ampliationes atq; exceptiones breviter subjiciemus. Exemplum primum potest desumi ex *§. hereditas 7. inst. de heredib. inst. l. penult. §. filiusfamil. 2 D. de castrens. pecul. junct. l. quamdiu 89. D. b. r. ubi dicitur, quod si quis decefferit, & de una duntaxat bonorum parte testatus sit, de alia verò testamentum non condiderit, causam testati trahere ad se, causam intestati, hoc est, heredem scriptum universam hereditatem nancisci, excluso eo, qui alias ab intestato successurus fuisset.* Cujus rei nulla alia ratio esse potest, præterquam quod nemo paganus simul testatus & intestatus decedere possit. Eodem modo se res habet cum pluribus heredibus scriptis. Ex his enim si nonnulli portionem suam repudiet, pars deficiens accrescit coheredibus, qui hereditatem adeunt, neq; ad heredes legitimos, id est, ab intestato venientes, transmittitur. Imo is qui heres institutus est, si ex parte hereditatem adeat ex parte repudiet, nihil agit, h. e. neq; in totum heres esse potest, neq; etiam hereditate excludi potest, necessum est ut aut totam hereditatem adeat, aut totam repudiet, ne testator pro parte

testatus, pro parte intestatus decedat. *text. notabit in l. quidam elo-*  
*gio 20. vers. placuit etenim & c. ibi. ut vel omnino admittantur vel omnia*  
*repudientur C. de jure deliberand. add. l. 1. l. cum hereditate 55. D. de ac-*  
*quirenda vel amittenda heredit. Eadem ratione si testator. ex se-*  
*missis heredem scripserit, totus as in semisse erit sape citat. §. heredi-*  
*ditas 7. inst. de heredib. instit. & hoc potestate juris accidere elegan-*  
*ter scribit J. Cris. Ulpianus in l. interdum 13. §. deniq; 12. D. de heredib.*  
*instit. id est, ut interpretatur Justin. in Just. loco allegato. vi hu-*  
*jus regulæ, quæ dicit: neminem in paganis pro parte testatum.*  
*pro parte verò intestatum decedere posse. Ampliatur autem.*  
*regula hæc primò, ut locum habeat, etiamsi testatoris dispositio*  
*sit in contrarium: veluti si dicat: Sempronium instituo in semis-*  
*se & in residua bonorum meorumq; parte, volo decedere intesta-*  
*tus. Hæc dispositione non obstante heres scriptus nihilominus*  
*in altera parte deficiente succedit, causa scilicet trahente ad se.*  
*causam intestati arg. l. quamdiu 89. D. b. t. juncta l. quamdiu potest*  
*39. D. de acquirend. vel amittenda heredit. Nemo enim facere po-*  
*test, ut leges in suo testamento locum non habeant l. nemo potest*  
*55. D. de Legat. I. Bartol. ad l. si duo 18. D. si quis omissa causa testament.*  
*in princ. Secundo Ampliatur ista regula, ut idem sit in herede, qui*  
*non potest hereditatem pro parte accipere & pro parte recusare*  
*l. 1. & l. 2. D. de acquirend. vel omittent. heredit. Et in hoc proce-*  
*dere Dd. contendunt, ut non possit filius heres institutus legiti-*  
*mam retinere & residuam hereditatem repudiare. Cyn. in l. heres*  
*instituta 3. C. de impuberib. & aliis substitutionibus, & ibid. Bald. & Paul.*  
*de Castr. Dec. hic n. 5. Tertiò quoq; hæc regula procedit in pupil-*  
*lari substitutione. Quemadmodum enim pater non potest pro*  
*parte testatus & pro parte intestatus decedere. Ita etiam filius*  
*cui pater pupillariter substituit. Bald. in textu notabili l. sed si plu-*  
*res 10. §. ad substitutos 5. D. de Vulgari & pupill. substitutione. Exce-*  
*ptio hujus regulæ 1. est ex post facto. Ab initio quidem aliquis*  
*dum adhuc vivit, non potest ita disponere, vel testamentum*  
*facere, ut simul etiam sit intestatus: Quia hæc in-*  
*ter se pugnant, testatorem esse & non esse, uti superius*  
*demonstratum est. Verum ex post facto, id est, post mortem te-*  
*statoris fieri potest, per querelam inofficiosi testamenti, ut testator*  
*pro*



pro parte decedat intestatus, & pro parte testatus. Intestatus; quatenus nimirum testamentum non in totum, sed ex parte tantum, per querelam inofficiosi eversum est. Testatus, ex parte ex qua non fuit rescissum *text. notabilis in l. mulier decedens 19. vers. praterea dicendum est ibi: non in totum testamentum infirmatur, sed pro parte intestata efficitur D. de inoffic. testam. add. l. Papinianus 8. §. sed nec impuberis 5. D. eod. l. nam & si parentibus 15. §. filius 2. in fine ibi: nec absurdum videtur pro parte intestatum videri. D. eod. & l. circa inofficiosi 24. eod. 2. Regula hæc officium suum perdit quando testamentum ex causa exheredationis vel præteritionis non valet: tunc enim nihilominus legata debentur *avib. ex causa C. de liber. præterit.* Testamentum enim in quo liberi injustè exhereditati vel præteriti sunt uno respectu irritum est, altero verò non. Irritum est, quo ad institutos non quo ad legatarios. An & quod ad fideicommissarios attinet? *N.* Quandoquidem, fideicommissum etiam deberi, *b.e.* restitui debere ex eo testamento, in quo filius fuit exhereditatus vel præteritus, manifestum est *ex d. avib. ex causa C. d. tit. præsertim cum CÆTERORUM* appellatione fideicommissa etiam intelligantur *l. ita tamen 27. §. quoties 6. D. ad SCT. Trebell. add. Nov. 115. c. 2. ex qua hæc avib. desumpta est Gothofred. ad d. avib. l. M. 3.* Fallit hæc regula, quoties alicui non est permillum de bonis universis disponere ex Lege vel Statuto *l. 1. & ibid. D. C. de secund. nupt. Everhard. Bronch. ad tit. de R. juris limit. 3. hinc.* Licet enim huic regulæ à testatore derogari non possit, ut supra dictum est, autoritate tamen legis vel statuti induci potest, quod quis possit decedere pro parte testatus & pro parte intestatus *arg. l. moribus in pr. D. de vulgari & pupill. substitutione Dec. hinc. n. 12.* 4. Regulæ huic locus non est in testamentis militum quippe quorum sola voluntas ex speciali privilegio *LL. in testando attenditur l. in princ. l. miles 35. l. Lucius Titius 40. D. de testament. milit.* Unde milites pro parte testari possunt, ita quidem, ut portio ista solummodo heredi scripto cedat, residua verò bona ad heredem legitimum deferantur *l. si miles 6. l. querebatur 19. l. si duobus 32. D. eod. l. 1. & 2. C. eod.* Neque si ex duobus heredibus quos miles scripsit, unus hereditatem repudiet, pars deficiens coheredi accrescit, sed ad legitimum heredem devolvitur, nisi alia defuncti voluntas probata fuerit, *text. notabil. in d. l. si duobus 37. D. de testament. milit.* Rectissimè igitur dicitur *in l. nostra IN PAGA-*  
**NIS;***

NISI: quoniam secus est, in militibus qui cum possint pro parte intestati, & pro parte altera testati decedere per jur. sub alleg. Ideo si quis ab his ex re certa l. si miles 6. vel ad tempus vel ex tempore vel ex conditione vel in conditionem l. in fraudem 15. §. miles 4. l. miles 4. l. miles ita 36. D. de testament. milit. institutus fuerit: quo tempore aut qua in re miles heredem non scripserit, legitimus ab intestato locus est futurus. Quod ergo in portione bonorum ei licet hoc etiam in temporis spacio, etiam non modico, ex eodem privilegio competit, ut pro parte intestatus & pro parte altera testatus possit decedere d. l. miles ita §. 1. eod. tit. & ob id etiam sive simul, sive separatim, confecta plura testamenta si valere voluerit, valebunt: Neque prius per posterius, vel ut inquit Ulpianus in l. querebatur 19. D. de testam. milit. superius per inferius rumpetur Petr. Fab. hic n. 7 & 8. Ratio autem differentiae inter paganos & milites, est 1. horum imperitia; arma enim potius quam jura scire debent princ. Inst. de testam. milit. l. scimus. 22. in princ. C. de jure deliberand. quae in paganis imperitia reperiri non debet, & quamvis in minoribus rusticis & mulieribus reperiri soleat, non tamen ideo excusantur, cum peritiores consulere possint l. utile tempus 2. §. scientiam 5. D. quis ord. in possessionibus servetur l. in bonorum possessionibus 10. D. de bonorum possessionibus. Secunda ratio differentiae consistit in favore, quem praecleara ipsorum opera meretur l. testam. 26. §. 1. D. de testam. milit. Et denique in periculo in quo milites constituti sunt & versantur, ita ut omnibus & singulis testamentorum solennitatibus intenti esse nequeant. text. notabil. in l. unica D. de bonorum possessionibus. ex testam. milit. add. Reinb. Bachov ad princ. Inst. de Testam. milit. n. 1. Et quamvis Advocati militare quoque dicantur l. advocati 14. C. de advocat. divers. judicior. & clerici milites Dei vocentur gloss. in vers. qui clericus 2. F. 26. si de feud. defuncti fuerit controvers. int. domin. & vasall. text. notabil. in c. placuit 21. questione 3. Attamen de his omnibus antecedentia minimè exaudiri debent, cum tantum militibus armata militia, sive ii sint equites sive pedites, imo etiam hi qui in triremibus militant, ea recte competere possint arg. l. 2. §. 43. D. de O. J. Donell. lib. 6. comm. cap. 28. Sed de hisce infra plurib. dic. Denique hoc loco vari solet: Utrum testator jus accedendi prohibere

bere, atque ita efficere possit ut ex parte aliquis testatus ex parte intestatus decedat? N. Nemo enim in testamento suo cavere potest ne leges in eo locum habeant *l. nemo 55. D. de legat. 1. L. autem nostra* statuit neminem paganum decedere posse pro parte testatum & pro parte intestatum: Ideoque nullis machinis efficere potest testator ut & ex testamento sibi succedatur, & simul ab intestato *add. l. si quis ita 36. & l. si ita quis 74. D. de heredibus instit.* *Guilhelm. Forster. diss. 12. ad Inst. tb. 25 Petr. Gregor. in Syntagm. lib. 18. c. 11. n. 15. Jul. Clar. lib. 3. sentent. § testam. quæst. 74. n. 2. per text. notabil. in l. unic. C. quando non pet. part. petent. accresc. Paul. Berens. diss. 6. ad inst. tb. 4. 9. 3. Duaren. lib. 1. de jure accresc. c. 2. Bachov. ad §. hereditas 5. Inst. de heredib. Inst. n. 3.* Sed hisce valde obstare videtur *l. matre. 2. C. de naturalib. liber. ubi dicitur si pater habet alios legitimos filium naturalem instituit ex asse vel majori parte hereditatis quod tam unciam capiat, ex bonis paternis, reliquum vero legitimis heredibus & successoribus, jure reddatur.* Verum R. quod tunc, quando ex qualitate personæ heredis non potest quis in solidum heres institui, defunctus possit pro parte testatus & intestatus decedere. E. gratia. Filius naturalis est capax successionis paternæ in unciâ tantum, hinc in ea parte institui potest, & in reliquis bonis decedit pater ab intestato. Sed quid si testator nihilominus, vetuerit, an tali casu dicetur decessisse in totum testatus an vero in totum intestatus? Si enim ad crescat, jam fit contra voluntatem defuncti, si non ad crescat, tunc fit contra dispositionem juris? *Bartol. in hac est opinione, & putat testamentum prorsus collabi, & ad intestati causam recidere in l. quovis 9. §. si duo D. de heredib. instit.* Cæteri interpretes contrarium censuerunt nimirum testamentum subsistere & vi juris partem reliquam, non habita proportionis ratione ad crescere scriptis heredibus *arg. l. vel negare 5. D. testament. quemadmod. aperiant. l. 1. D. si quis om. ff. causis l. 1. C. de SS. Eccles. Nov. 22. c. 2. l. & quia defunctorum interest, ut habeant successores 6. D. de interrog. act.* Insuper adjectio quælibet impossibilis, inutilis, inepta vel alio modo à jure explosa. Si de facto ultimæ voluntati adjicitur non vitiat dispositionem, sed ipsa, adjectio vitiat, vitiatque rejicitur, habeturque perinde ac si nihil eorum in testamento additum fuisset *l. obtinuit 3. D. de condit. & demonstrationib. l. reprehenden.*

B

den.



denda 5. C. de institutionib. & substit. l. quoniam in prioribus 32. C. de inofficioso testament. quamvis aliud in contractibus obtineat, qui adposita inutili conditione planè sunt nulli. l. non solum 31. D. de O & A. l. impossibilis 7. D. de V. O. Reperitur etiam media sententia, ut nimirum hereditas toto ipso jure quidem pertineat ad heredem scriptum sed ut partem quam ei ad crescere prohibuit testator, cogatur restituere heredibus qui ab intestato fuissent successuri. Salyvet. in l. quoties 13. C. de heredibus instituendis. Quæ sententia sanè quemadmodum voluntati testatoris prorsus non repugnat: Ita etiam ratione destituta non est. argument. §. sed & 3. inst. Quibus modis testament infirm. Et ad eum trahi potest, & explicari l. quoties volens 9. §. si duo sint 13. D. de heredib. instituendis. vid. omnino Reinhard. Bach. ad §. hereditas 5. Inst. de heredib. instituend. n. 3. & n. 4.

### Lex VIII.

Jura Sanguinis] hoc est naturalia, omnibus hominibus communia & apud omnes gentes ob sanguinis conjunctionem observata l. hac parte 2. D. V. d. cognati Per jura autem sanguinis, intelligimus jura cognationis, quæ naturali vinculo constant, l. vel si sanguine 12. D. de manumiss. vind. non vero jura consanguinitatis. Consanguinitas enim tum à JCTO Ulpiano in l. si spurius 4. ibi jure consanguinitatis aut agnationis D. unde cognati. Ad agnationem refertur, tum etiam ab Imperatore Sacratiss. Justiniano in §. vulgo quæstos 4. ibi: quia consanguinitatis jus species est agnationis. Inst. non success. cognator. agnationis species appellatur: Quemadmodum quoq; & jus consanguinitatis & jus agnationis in §. sunt autem in princip. Inst. de legitim. agnat. success. promiscuè ab eodem accipitur. Jam vero agnationis jus, juri sanguinis in l. qui in adoptionem 23. D. de adopt. opponitur. Satis itaq; ex eo evincitur JCTum Pomponium hoc loco nihil aliud intelligere per jus sanguinis quam jus cognationis; præsertim cum jus agnationis civile, cognationis vero naturale, dicatur. l. non facile 4. §. cognationis 2. D. de gradib. & affinib. l. Jurisconsultus 10. §. inter agnatos 4. ibi: alterum enim civile alterum naturale nomen est D. eodem. In hac significatione jus cognationis etiam in l. hac parte 2. D.

a. D. Unde cognat. & in l. vel si sanguinetz. D. de manumiss. vend. pro  
jure sanguinis accipitur *Petr. Fab. hic Philip. Matth. n. 2. 3. 4. & Hippo-  
lyt. à collibus Johann. Neldel.*

Nullo jure Civili dirimi possunt] Jus naturale usq; adeo perpetu-  
um & immutabile est, ut nullo humano jure tolli aut labefacta-  
ri possit; nisi quod postulante Reip. & civium tranquillitate à  
jure civili aliquando temperamentum recipiat. §. *sed naturalia*  
*ii. instit. de jure Nat. G. & Civ. & ibid. Bach. vid. pot. l. jus civile 6. D. de*  
*just. & jure.* Hinc non ineleganter à Jcto Pomponio hinc relatum  
extat, quod jura sanguinis, hoc est, jura cognationis quæ natu-  
rali vinculo constant, nullo jure civili dirimi possint. Fieri si-  
quidem nullo civili jure potest ut qui filius est non habeatur pro  
filio: & vice versa qui parens est loco parentis non sit. *l. jus agna-  
tionis 34. D. de pact.* Ratio hujus regulæ est quod civilis ratio tan-  
tum civilia jura corrumpere possit naturalia vero nequeat §. *ult.*  
*Instit. de legat. agnat. tutel.* Nihil enim tam naturale est, quam eo  
genere, quodq; dissolvere, quo colligatum est. *l. nihil tam naturale*  
*35. D. h. tit.* Sed hinc graviter adversari videatur *l. non facile 4. §.*  
*sui D. de gradib. & affinibus ubi dicitur, is qui aliquo modo capite dimi-  
nutus est, ita ut libertatem & civitatem amitteret, & cognationes & affi-  
nitates omnes quas ante habuit amittit. add. l. is qui. 7. D. Unde cognat.*  
Resp. textus modo allegati ita minimè intelligi debent, ac si ipsa  
cognatio per maximam & mediam capitis diminutionem revera  
perempta est *ex l. adoptivus 14. §. serviles 2. D. de ritu nupti.* Verum  
jus civile COGNATIONIS EFFECTUS duntaxat certas & ju-  
stas ob causas aliquando impedit. Veluti in casu proposito, suc-  
cessio legitima, cum sit juris civilis licet sanguinis ratione defe-  
ratur, peregrinis tamen, usq; qui in servitutem redacti sunt adi-  
mitur: quia servi atq; peregrini eorum quæ sunt juris civilis com-  
munionem non habent *text. notabilis in l. qui testamento 20. §. servus*  
*7. D. Qui testam. facere poss. l. 1. & ibid. Richard. n. 3. & §. C. de hered.*  
*instit.* Eodem modo jus civile quamvis facere possit, ne filius  
patri, aut frater fratri succedat: nullo modo hoc efficere potest,  
ut filius vel frater, qui succedere nequit, propterea  
filius aut frater esse desinat. *text. notab. in l. 1. §. pen. ibi: &*  
*est verum eos esse consanguineos, etiamsi sui heres non extiterunt patri,*  
*ut puta exheredatos sed ceteri pater eorum deportatus fuerit nihilominus*

eos inter se esse consanguineos, licet patri sui heredes non extitissent. D. de suis & legitimis hered. Quod autem de successione dictum est, idem etiam de tutela & reliquis affectibus quos jus civile vel prætorium cognationi attribuit in l. si ve ingenua. 2. D. ad f. Ctum Tertull. & Orpbyt. intelligi debet Philipp. Matth. hic n. 9. & seqq. Aliter hæc explicat atq; interpretatur Perr. Fab. hic n. 1, 8. 19. & seqq. quod tamen suo loco relinquimus add. Hippolyt. à Collib. hic. Cæterum regulæ hujus varius usus reperitur & primò quidem in successione Minus enim (inquit Imperator in §. minus u. Inst. de success. quæ ab intest. deferuntur) juris habent adoptivi filii quam naturales. Namq; naturales emancipati beneficio prætoris gradum literarum retinent, licet jure civili perdant: Adoptivi vero emancipati, & jure civili perdunt gradum liberorum & à Prætoribus non admittuntur; naturalia enim jura civilis ratio perimere non potest. d. §. u. Secundò usus etiam hujus regulæ non exiguus est. In matrimoniis in quibus sanguinis jus nullo jure civili extingitur, si ve servilis cognatio sit, si ve spuriorum text. notab. in l. adoptivus 14. §. 2. D. de ritu nuptiarum ubi dicitur: serviles cognationes quoq; in hoc jure observande sunt. Igitur manumissus matrem suam non ducet uxorem sicut nec spurius. Hinc non modo ingenuus ingenuam, sed nec libertinus libertinam aut sororem uxorem ducere poterit. l. libertinus 8. D. de ritu nupti. Præterea & inter collibertos matrem & filium pietatis ratio secundum naturam salva esse debet, auctore f. C. Iuliano in l. i. in princ. & §. 1. D. de obseq. parentib. & patronis præstand. Deniq; ex hac regula quæstiones non condemnandæ utilitatis decidi possint. Et i. quidem quæritur: Utrum legitima liberorum statuto in totum tolli possit? N. Quod enim jure naturali debetur tolli profus nequit. arg. nostrum juncta §. penult. Inst. de jure N. G. & Civi. Atqui legitima liberis jure naturali debetur l. scimus 36. §. illud 2. ibi. ne filius defraudetur jure naturali & c. (de inoff. testam. Nov. in pr. §. prim. itaq; 2. ibi: quantum partem personis quibusdam tanquam hoc secundum ipsam naturam & c. debeat & c. Naturalis enim ratio quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicit l. cum ratio naturalis 7. D. de bon. damnat. & parentes ad bona liberorum ratio miserationis admitit, liberos na-

tura

turæ simul, & parentum commune votum *l. scripto hered. 7. D. si tut. testam. null. extat.* Ergo legitima liberorum tolli nequit. Neq; obstat quod remedia quibus ipsa hereditas in legitima obtinere potest, jure civili prodita sunt, veluti querela inofficiosi testamenti, petitio supplementi & similia: quia non sequitur quod ideo legitima juri civili in totum sit adscribenda. Quandoquidem quoad rem ipsam & substantiam ex jure naturali proficiscitur. *per text. supra citat.* Quantitas vero ejus (*quæ variatur arg. §. 3. Inst. de inofficioso testam. Nov. 18. c. 1.*) à dispositione juris civilis dependet. Cum igitur jure naturali debeatur, in totum tolli non potest. Sed quia ejus quantitas jure civili præscripta & definita est, idcirco ex *l. municipali* aliqua ex parte, justa scilicet causa subsistente: minui potest. Hanc opinionem etiam Camera imperialis non semel sed multoties judicando secuta est, *test. Gail. lib. 2. obs. 122. ubi omnino vid. Myns. cent. 5. obs. 43. Arimneus Exercit. 10. th. 19. Bronch. c. 1. misc. ass. 34. Fachin. lib. 4. controvers. cap. 32. Harprecht part. 1. disp. 25. th. 14. Salyc. in autb. Novissima C. de inofficioso testam. n. 10. Fas. ibid. n. 56. Panormit. in C. Rupinutius 17. juncta Apostol. de testament. & alii apud Myns. & Gail. Dd. allegati.* 2. Q. Utrum valeat pactum inter patrem & filium, ne pater teneatur alimenta præstare filio, cui dedit partem suam si postmodum ad necessitatem pervenerit? N. 1. Quia tale pactum est juri naturali contrarium *arg. princ. Institut. de I. N. G. & Civili l. 1. §. jus naturale 3. D. de J. & J. 2. per textum notabilem in l. unica §. tacent. 5. C. de uxor. actio ibi cum ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem hortetur.* 3. Quia voti paterni est, liberis parare & locupletare eos *l. nihil inter est. 50. §. sed nunquid 2. D. de bon. libert.* 4. Quia educatio liberorum tam à dispositione juris Naturalis *per text. supra cit.* quam à dispositione juris civilis dependet. Unde pater de Jure civili officio judicis cogi potest ad alendos liberos pro modo facultatum suarum *l. si quis à liberis §. sed si filius 7. D. de agnoscend. & alend. lib. l. sui, & ferme per totum C. de alend. lib. ac parentib. non solum existentes in patria potestate, & ex justo matrimonio editos, sed etiam emancipatos & naturales tantum d. l. si quis §. sed utrum 1. ibi: etiam si non sunt liberi in potestate D. dicitur juncta. autb. licet C. de naturalib. liberis.* Præterea quamvis de rigore juris civilis incestuosi & ex damnato

coitu suscepti non sunt alendi *autb. ex completum C. de incestuos. nupt. de æquitate tamen canonica pater eos alere tenetur. c. cum haberet 5. in fin. ibi sollicitudinis tamen; tuæ intererit, ut uterq; liberis suis secundum quod eis suppetunt facultates necessariae sumministret X. de eo qui duxit in matrimon. quam potuit per adulter. specul. in text. Qui filii sint legitimi coll. 4. vers. sed pone quidam emancipavit filium. Et Bronch. hic Dec. hic n. 3. & seqq. Prædicta tamen limitantur duobus modis. 1. Si filius se ipsum alere possit, tunc enim a parentibus, alimenta denegari poterunt d. l. si quis a liberis 5. §. sed si filius 7. & arg. §. alimenta 19. D. de agn. & alend. liber. 2. Si filius aliquam ingratitude causam commiserit. Ex quibus enim causis filius exhereditatur. Nov. 115. c. 3. ex iisdem alimenta ei subtrahi possunt. d. l. §. idem iudex 11. add. Bartol. in d. l. 7. §. si quis ex his 10. D. d. tit. & in l. si patrem 4. C. de alend. liber. Dec. hic n. 3. Neq; hoc est contra naturam, quippe ut natura æquum est, filium in lucem editum, alere: Ita rursus æquum est, esse memorem sui officii, ne paternam pietatem usq; offendat. Et certum est quod ingratitude tollit debitum naturæ Nov. 22. c. optimè verò 27. vers. hoc autem. & dicitur Ventus urens, siccans fontem misericordiæ, rorem pietatis & fructuum gratiæ. Abl. in c. sine X. de donationibus. Schneidw. ad princ. instit. de jur. Nat. Gent. & Civil. n. 11. Bronch. ad b. l. nostr. in fin. 3. Q. Utrum contra hanc regulam peccent matres illæ Nobiles & illustres qui proprio lacte alere liberos, dedecori sibi existimant? Affir. arg. princ. Inst. de J. N. G. & Civil. si bruta enim hoc jus natura docuit quantum magis id sequi debent homines! potissimum cum natura matribus lacte distenta ubera ideo dederit, ut ipse suos liberos alerent. Balduin. add. princ. Inst. de J. Nat. G. & Civil. Deinde quoniam mores boni vel mali sæpe ex uberibus hauriuntur, rationi consentaneum est, ut potius matres quam nutrices hanc curam susciperent. Præterea cum affectio erga prolem, major sit in matre, quam nutrice, magis conveniens est ut matres suos foveant infantes. vid. Johann. Casim. lib. 7. polit. c. 17. Bocer. Class. 1. disputatione 1. tb. 10. Hænon. hic disp. 3. quæst. 2.*

### Lex IX,

*Semper in obscuris*] Obscurum dicitur, quod vix aut nullo mo-



modo intelliigi potest, & quod aperto opponitur, id est ei, quod planum & liquidum est. Dubium est, de quo inter sapientes dubitatur *arg. l. an inutilis 8. D. de acceptilat. l. unica D. Nihil innovari appellat. interposit.* Ambiguum vero duas res, duas sententias aut plures exprimit *text. notabil. in l. in ambiguo 3. & l. cum in testamento 24. D. de Reb. dub.* Unde ambiguitas verbis simplicibus, orationibus & rebus inesse dicitur *arg. l. in ambiguis 85. l. in ambiguis 96. D. d. t.* Promiscuè tamen sæpe alterum pro altero sumitur, ita ut non semper hoc discrimen à Jctis admittatur.

*Quod minimum est*] Hæc L. intelligenda est de ejusmodi minimo cujus aliqua est vel esse potest utilitas: quod si enim minimum ita comparatum fuerit, ut nulla ex eo utilitas sperari possit mediocre præstabitur *tex notabl. in l. si quis argentum 35 §. similiq. modo 2. in fin. ibi & hic mediocritas spectetur C. de donationib. add. l. legato 37. in princ. D. de legat. 1. l. ult. §. 1 C. comm. de legat.*

*Sequimur*] Cum hujus L. interpretatione conjungi posset explicatio aliarum aliquot regularum hoc titulo comprehensarum ut sunt *l. in testament. 12. l. semper in stimulationibus 34. l. in ambiguis 85. l. in ambiguis 96. l. in obscuris 114. l. quoties 200.* quæ omnes quoque pertinent ad interpretationem dicti alicujus vel etiam scripti obscuri: Sed quia ex his hæc generalis est, jure merito ejus explicatio prius pertractanda est, quæ tandem ad speciales eò facilius applicari poterit. Concordat autem cum hac reg. *C. in obscuris. 30. de Reg. juris n. 6.* & amplificari potest *l. nummis 75. D. de Lege III. l. apud Julianum 39. §. scio 6. D. de legat. 1. d. l. qui concubinam 39. §. cū ita legatum 1. D. de Legat. III. Dec. hic in princ.* Ordo vero in obscuris interpretandis hic omnino observandus est. Et primò quidem inspiciendum quid inter contrahentes cogitarum & actum sit, unde reg. juris de prompta est: In contrahendo quod agitur pro cauto habetur *l. cum quid 3. D. de R. cred.* Quod si non appareat quid actum sit videndum quid verifimilius & plerumq; fieri solet in hisce negotiis. Si verò nec ita obscuritas tolli possit ad regionis consuetudinem confugiendum in qua contractus celebratus est. *l. semper 34. D. b. t.* Hisce omnibus deficientibus, tandem ad hanc regulam recurrendum est, atq; in dubio isto sequendum

id,

id, quod minimum est cum nemo suum jactare praesumatur. *l. cum de indebito 25. D. de probat. l. companus 47. D. de oper. libert.* Habet igitur haec regula locum tantum in subsidium: quia (uti dictum) prius inspicitur quod actum est, secundo quod verisimilius &c. *Dec. hic num. 1. Neldel. Bron. b. Philipp. Matth. n. 19 & alii.* Et procedit in contractibus, ultimis voluntatibus delictis & judicium sententiarum. Ratio cur in contractibus regula procedat, deferri potest quia contractus & conventiones non valent nisi ex consensu utriusque partis *l. 1. §. conventionis 3. vers. adeo D. de pact.* In dubio autem nemo creditur consensisse in id quod sibi nocet, cum suum jactare nemo praesumatur *d. l. cum de indebito 25. D. de probation. b.* Ergo in dubio & in obscuro id accipiendum, quod minimum & quod benignius *vid. omnino Pacium cent. 2. qu. est. 7.* Unde qui stipulatus est decem aut quindecim, sola decem recte petet. Nam in summis semper quod minus est, promitti videtur *l. inter stipulantem 83. §. si stipulante 2. junct. §. seq. D. de V. O. add. l. si ita 109. D. eod.* Eodem modo si intra biennium sibi dare quis stipuletur post biennium debitum exigetur *d. l. si ita stipulatus 109. D. de V. O.* Utriusque decisionis, & in summis & in tempore ratio adfertur ibidem huic regulae nostrae maxime conveniens quia in stipulationibus id servatur ut quod minus esset, quodque longius videretur in obligationem deductum, hoc est, in alternativa summa inspicitur quod minus, in tempore quod longius. Fallit autem haec regula in dote *arg. l. in ambiguis 85. D. b. t.* quae *L.* est magis specialis & videtur derogare huic regulae generali *c. generi per speciem 34. de R. Juris in 6.* Hujus exceptionis ratio absque omni dubio in favore dotis acquiescit, qui videlicet causa, dotalis semper & ubique praecipua est: cum & publice inter sit dotes mulieribus conservare, adeoque ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem dotatas esse feminas maxime sit necessarium *l. 1. solut. matrimon. quemadmod. dos pet. l. Reipublica 2. D. 1. de dotium l. si ego 9. §. si res alicui 1. D. eod. add. l. in ambiguis 70. D. eod. tit. & text. notabil. & ibi gloss. in l. nuptum 57. D. de jure dotium Dec. hic n. 7.* Locus etiam huic regulae esse non potest quando illud obscurum est declarari debet officio judicis: quia tunc non recurritur ad minimum *Abb. in c. 1. X. de decim. add. arg. l. 15. cui 11. D. de aliment. v. el cibariis legit. Dec. d. l. n. 8.* Officium

cium suum quoque perdit quando ambiguum quid in conventionibus reperitur: quia id contra proferentem interpretatur, ut qui clariorem legem conventioni opponere potuisset *l. veteribus 39. D. de pact. l. labeo. 21. D. de contrahend. emptioibus c. contra euns 57. de reg. jur. 196.* Denique non procedit hæc regula, quando ratio subiectæ materiæ aliud svadet atque postulat *arg. l. si ita distrabatur 25. D. de contrahend. empt. Bart. in l. dotis 7. D. de jur. dotum Dec. hic n. 8.* Procedit autem in legatis & ultimis voluntatibus. Si itaque is, qui duos fundos ejusdem nominis sed diversi pretii habet, si unum ex his cuiquam legaverit nec legatarius doceat majoris precii fundum sibi relictum esse, in dubio isto viliozem fundum legasse intelligitur *l. cum servus 39. §. scio D. de leg. I. add. l. nummis 75. D. de legat. 3.* quia in legatis testator videtur minus gravare heredem quam fieri possit *l. unum ex familia 67. §. si rem 8. ibi: sunt enim magis in legandis suis rebus, quam in alienis comparandis, & onerandis heredibus. faciliozes voluntates & c. D. de legat. II.* Et tali casu regula procedit ubi est incertitudo in rebus. Secus enim est in personis: quia tunc electio datur heredi *l. si quis servum 8. §. si inter duos 3. D. de legat. II. ubi omnino vid.* Fallit etiam hæc regula si id quod debetur in re minima non habet utilitatem. Tunc enim res mediocris præstanda est, utpote homine legato vel promisso neque optimus neque pessimus sed mediocris præstandus est. Nec enim vilissimum servum habere expedit *l. legato 37. D. de legat. I. l. si quis argentum 35. §. similiq; modo 2. C. de donat.* Excipitur quoque legatum ad pias causas relictum, ut puta Ecclesiæ: tunc enim optimum in dubio intelligitur *l. Titia 38. §. fin. D. de aur. & argent. legat.* Denique quando qualitas legati vel legatarii aliud svadet, regulæ huic locus esse non potest *l. cum alimenta 22. D. de aliment. vel cibari. legat. text. notabil. in l. stichus 12. D. de legat. III.* quia legatum obscurum ex affectione cujusque capit interpretationem *arg. l. rapiend. 168. §. 1. D. hoc tit. l. Aurelius 18. §. Titius testamento 3. D. de liberat. legat. Bart. ib. & Dec. hic n. 3.* Cæterum quod *§. C. de test. l. in testamentis 12. in f. b. c.* voluntates testantium plenius interpretandas esse scribit, id huic non obstat. Quandoquidem voluntas testatoris plenior interpretationem tum meretur quando ex conjecturis magis quam ex verbis testamenti voluntas testatoris liquet: quo ca-

¶

su

su verba ita interpretanda sunt, ut testatoris voluntati congruant, arg. l. in ambiguis 96 D. b. t. l. in obscuris 114. D. eod. propria verborum testamenti significatio retinebitur. Voluisse enim & sensisse videtur testator quod dixit l. in ambig. D. de reb. dubiis. Quod si propria ista significatio duabus pluribusve summis accommodare possit, tum demum huic regulæ locus erit, atq; isti interpretationi stabitur, quæ summam minimam continet l. non utiliter 69. & l. nummis 75. D. de legat. III. Philip. Matth. hic n. 31. & seqq. Porro reg. hæc locum sibi quoq; vindicat in delictis. Pænæ enim molliendæ potius sunt quam exasperandæ l. si prafer. 32. ibi. mitior lex erit sequenda & l. interpretatione 42. D. de pœnis. l. factum 155. § fin. D. b. tit. add. D. d. hic præcipue Dec. n. 9 & seqq. Hæc autem Regula fallit i. quando ex qualitate facti aliud colligitur l. i. C. ad leg. Corn. l. de Sicar. l. si non convicti C. de injuriis c. i. X. de præsumptionib. 2. in excommunicatione cap. penult. X. de sententia excomm. in qua in dubio fit interpretatio pro majori excommunicatione 3. in casu l. item Melia § si plures 4. D. ad L. Aquiliam. Ultimò regulâ hæc locum habet in judicium sententiis, quia æquitas in jure maximè spectanda est l. in omnibus 90. D. b. t. l. placuit 8. C. de judic. Neq; hisce obstat l. prospexit 12. D. qui & ex quibus causis manu. R. ubi enim verba legis, (vel sententiæ, ut respons. ad propositum casum accommodemus) non sunt adeo clara atq; generalia ut excludant interpretationem ex bono & æquo, tunc ea interpretatio, quæ est benignior, valere debet, ac stricto juri proferenda est. p. d. l. placuit. 8. C. de judic. Ubi vero verba legis adeo clara sunt, ut salva ratione recti sermonis interpretationem, quæ ex bono & æquo adhiberi potest recipere nequeant, servanda est lex & sententia quantumvis dura esse & æquitati repugnare videatur. arg. d. l. prospexit 12. D. loco supra cit. Fach. lib. 1. controvers. c. 3. Cùm verò sententia hic loci non clara sed obscura præsupponatur, minimè inconveniens erit, si interpretationem benigniorem admittat. Eleganter namq; J. Crus Paulus in l. in ambiguis 85. §. quoties 2. D. b. t. inquit: Quoties æquitatem desiderii naturalis ratio aut dubitatio juris monatur, justis decretis, res temperanda est. Vnde decisum est, quod si judex pronuntiaverit, vim à reo commissam esse nec adjunxerit publicam vel privatam, neq; de eo aperte constet de vi privata intelligendam esse

esse condemnationem *l. si praeses 32. D. de poenis.* Ita etiam si ex tri-  
bus iudicibus unus Rem condemner in quindecim, alter in de-  
cem & tertius in quinque praestabuntur quoniam omnes in hanc  
summam consenserunt. *tex. notabil. in l. diem proferre 27. §. si plures  
vers. inde quonitur in fine 3. D. de recept. arbitr. & in l. inter pares 38. §. si  
na D. de R. iudicat. ubi Iustus Paulus inquit: Si diversis summis condem-  
nent iudices summam spectandam esse. Julianus scribit Philipp. Matth.  
hic n. 22.* Coronidis loco haud incommodè hic quaeritur, quo-  
modo interpretari possit ambiguum sive dubium, quod ex L. scri-  
pta existit? R. Cum consuetudo optima LL. interpretatur *l. si  
de interpretatione 37. D. de LL.* hoc casu primum ad eam recurren-  
dum esse existimamus. Quod si verò ex consuetudine interpre-  
tatio haberi non possit, isti interpretationi stabitur quae est beni-  
gnior *l. benignius 18. D. de LL. l. semper in dubiis 55. & l. rapienda 168. in  
princ. D. b. t.* Quam ob causam Iustus Paulus *in l. in omnibus 90. D.  
hoc tit.* aequitatem in iure maximè spectandam esse asserit. Cæ-  
terum si lex ita sit obscura & dubia, ut iudex etiam si aequitatem  
attendere velit, nihilominus in dubio isto haesitet, quid statuere  
debeat? TUM demum PRINCEPS ADIRI, atque ab illius autho-  
ritate interpretatio legis peti debet. *text. notabil. in l. leges sacra-  
tissima 9. ib.* Si quid vero in iisdem Legibus latum fortassis OBSCURI-  
US fuerit oportet id ab imperatoria interpretatione pateferi *§. c. C. de LL.*  
Quod si enim intellectus Legis scriptae, planus sit ac perspicuus &  
nihilominus aequitas in casu proposito illi resistat tum iudex et-  
iam in consulto Principe aequitatem legis scriptae praepone-  
re potest. *per l. placuit 8. C. de iudic. d. l. in omnibus 90. D. b. tit.*

## Lex X,

*Secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur in commoda* Hoc est naturalis ratio atque aequitas postulant ut  
commoda cuiusque rei eum sequuntur quae sequuntur in commoda.  
Ratio huius regulae dari potest haec, quia aequitas naturalis postu-  
lat, ut quaedam sit damni & lucri quasi permutatio sive talio de qua  
*Philosoph. Lib. 5. Eth. cap. 5.* Eadem regula habetur in *c. qui sentit 55.*

C 3

de

de Reg. jur. in 6. Exempla ejus passim reperiuntur ut in §. cum autem  
3. Inst. de Empt. & Vend. l. 1. §. pro secundo. C. de induc. toll. & alibi. Quæ ad-  
modum etiã hujus aliquod Exempla rei ad l. 1. b. r. notavimus, & etiã  
inferius subjiciemus. Illud sicco pede (ut vulgo dicitur) præte-  
reundum minimè est, regulæ huic tum demum locum esse, quan-  
do (1) commodi & incommodi par est ratio adeoq; utrumq; &  
commodum & incommodum ex eodem fonte provenit; atq; ve-  
l insuper (2) persona tam oneris quam lucri capax judicatur.  
Quandoq; enim propter inhabilitatem personæ quis commo-  
dum consequi potest quamvis onus & incommodum non patia-  
tur. Mulier enim & minor licet ad hereditatem agnatorum ad-  
mittantur tutelam tamen eorum subire non tenentur l. 1. §. inter-  
dum. D. de legitim. tutorib. & Inst. de legit. patron. tutel. in fin. quoniam  
tutoris officium est virile atq; publicum, ad quod fæminæ & mi-  
nores regulariter non admittuntur veluti ad l. 2. b. r. diximus.  
Hinc etiam colligi potest, quid statuendum sit de difficili ista  
quæstione: Utrum vidua ob stuprum quod sibi inferri passa est,  
dotem amittat? Etsi enim commoda ista quæ à marito habuit vi-  
dua ejusmodi prorsus amittat. *Tiraquell. de nobilitate cap. 18. n. 15.*  
non tamen propterea dotem quoq; perdet, quia eam ex perso-  
na mariti non habet, sicut reliqua privilegia viduis indulta, sed  
dos ipsius mulieris patrimonium est proprium: atq; idcirco in-  
commodum amissionis dotis commodo ex marito provenienti  
par non est. *Menoch. in cas. 228. n. 38. lib. 2. de arbitr. judic. quæstion.*  
Hæc quo ad limitationem hujus regulæ duplicem. Cæterum  
usus hujus regulæ in variis materiis cernitur, veluti in emptione,  
quia si post perfectam emptionem, fundo vendito & nondum  
tradito per alluvionem quid accedat, emptoris lucro cedit, si qui-  
dem incommodum ac periculum rei venditæ ad eundem quoq;  
pertinet §. cum autem 3. Inst. de empt. & vendit. l. id quod post emptio-  
nem 7. D. de periculo & incommodo rei venditæ add. *Hæc. hic diss. 3. quæst.*  
*1. Pac. 5. quæst. 8. Bronch. c. 2 assert. 55.* Item in usu fructuario nam cui  
agri usufructus legatus est is in demortuorum arborum locum  
& alias substituere debet & priores retinere potest l. agri. 18. D. de  
usufruct. pro onere enim æquum est, cum emolumentum sentire.  
Eadem ratione heres quia succedit in jus demortui suscipit etiam  
incom-

incommoda l. bona autem 3. in pr. ibi. suscipiturq; ejus rei commodum  
& incommodum & c. D. de bonorum possessionib. Item est in restitu-  
tionibus fideicommissariis text. notabil. in l. nam quod 14. §. non omnis  
§. D. ad fctum Trebell. ubi ratio hac subjicitur, neq; enim æquum est ad  
hoc quē quā compelli hereditatem adire, ut emolumentū hereditatis qui-  
dem refundat ipse vero oneribus hereditatis obstrictus relinquatur add.  
l. is qui in potestate 15. §. ult. ibi quia absurdum est illum commoda here-  
ditatis habere alium onera sustinere & c. D. de legat. prestand. Ob ean-  
dem quoque regulā rationem quæ naturalem intellectum habet,  
Arcadius, Honorius & Theodos. Imperatores eos, quos inundatio  
Nili fluminis reddiderat ditiores pro terris quas possiderent, tri-  
butorum præstationem agnoscere voluerunt, eos vero qui de plo-  
rarent patrimonium diminutum alieno saltem fructuonis munere  
liberari text. notabil. in l. hi quos inundatio 2. C. de alluvionibus & c.  
Huc etiam pertinet text. in l. ex qua persona 149. D. h. tit. ubi generaliter  
dicitur, ex qua persona quis lucrum capit, ejus etiam facta præstare debe-  
re. Quemadmodum igitur ex contractu nostrorum instituto-  
rum emolumentum percipimus ita æquitati consentaneum est,  
ut ex ipsorum contractu etiam conveniamur l. in princ. D. de insti-  
tut. act. add. Hippolyt. à Collib. Neldel. Philip. Matth. & alios Regul. hic  
Petrum Fabr.

### COROLLARIA

I.

Princeps ex plenitudine potestatis testamentis privatorum  
derogare non potest l. si testament. 10. C. de testament. cui add. arg. l. si  
donationem §. C. de renovand. donationib. Vasq. lib. 1. controv. c. 5. n. 21.  
Gail. lib. 2. obs. 58. n. 9.

II.

Ventre herede instituto, non solum is filius qui ex ea natus  
est uxore, quæ erat tempore testamenti, institutus esse intelli-  
gitur, sed etiam is qui ex alia nasciturus est. l. placet 4. D. de liberis &  
posthum. Et quamvis in hoc casu testator non posthumum, sed  
ventrem heredem instituerit, idem tamen est ac si posthumum  
instituisset arg. l. posthumi 3. §. nominatim §. D. de injust. nupt. irritu. te-  
stam. Menoch. lib. 4. presump. 21. n. 31. Fach. lib. 4. c. 89.

C 3

3 Ascen-



III.

Afcendentes in parū gradu existentes filiis suis æqualiter  
 succedunt. Nullaq; in hac successione est faciēda bonorum  
 distinctio siue à patre siue à matre ad filium pervenerit. *Nov. 118. c.*  
*2. vers. si autem eundem ibi: ex æquo inter eos hereditas dividatur &c.*  
 Et proximus gradus non excluderet remotiorem, si ad originem  
 bonorum est respiciendam. *Valent. Forst de successione lib. 7. c.*  
*4. n. 11. Fach. lib. 6. cont. c. 4. Hænon. disput. 12. Inst. contr. 7. vid. Hillig. lib.*  
*9. cap. 2. Don. emul. lit. D. Myns. cent. 6. observat. 55. ubi secundam hanc*  
*sententiam in supremo Camera Imper. judicio pronunciari testator.*

IV.

Duorum vel plurium fratrum filii, quando soli sunt, in ca-  
 pita non verò in stirpes succedunt. *arg. l. 2. §. hac hereditas 3. D. de su-*  
*is & legitimis heredibus. text. notab. in l. fin. §. cum autem. 3. ibi: illo etiam*  
*observando ut successio non in stirpes sed in capita dividatur. C. de legit.*  
*heredib.* Et hanc sententiam. *Carolus V. in Comitibus Spirensib.*  
*Anno 1529. confirmavit. tit. Keiserliche Constitution vnd Sa-*  
*zung/ wie Brüder oder Schwester Kinder/ Ihres Vater Brüder*  
*oder Schwester verlassen Erbschafft/ vnter sich theilen sollen ibi:*  
*Wenn einer vnterstirret absterbet vnd nach ihm kein Bruder oder*  
*Schwester/ sondern seine Brüder oder Schwester Kinder in vngleic-*  
*her zahl verlest/ das als denn dieselben seiner Bruders oder Schwo-*  
*ster Kinder/ in die Häupter vnd nicht in die Stämme erben sollen &c.*  
 Et cum hac constitutione Imperatoris concordat jus Saxonicum  
*ut est text. in lib. I. art. 17. ubi expressè habetur si hereditas ad alias*  
*quam ad fratres & sorores devolvatur quod tunc omnes in pari*  
*gradu existentes, percipiant æquales portiones hereditatis.*  
*Schneidw. de text. ord. succedend. n. 29. Fach. lib. 6. controvers. c. 3.*

*& lib. 7. cap. 52. Hænon. disp. Inst. 12. contr. 11. Bronch. cent.*  
*3. assertio. 69. Donell. lib. 9. comm. c. 4.*

**Tantum.**

Alen 3



*Ad*  
**DISPUTATIONIS HUIJUS**  
**RESPONDENTEM GENTILEM PRO-**  
**PINQVUMQVE SUUM:**

**P**ugnata pugna strenuè vim militis,  
Animo forti quantus in bellum ruat,  
Monstrat docetq; ; gloriæ ingenî quoq;  
Docti ac Diserti, sedulæq; industria  
Facile emeretur, si qua Dissertatio  
Et eruditè scripta & asserta approbè est  
Hanc PAULE laudem quod sequi paras, places.

**Augustus Buchnerus,**

**Q**uid spatium parvis iuuet omne fugasse fritillis  
Temporis, id queratur datq; probatq; sonus.  
Blandula quid præstet VENUS & quid BACHUS; id agrum  
Corpus, & inde sequens ægra crumena docent.  
Quid Musas coluisse; Virum decus immortale  
Monstrat, & ad Numen Gloria calcar habens.  
Felix BUCHNERE es? quia scis extendere Musis  
Horas, ac avidi pectoris ausa tui.  
Perge. Tuas curas decus immortale manebit,  
Et studiis dignis præmia digna dabit.

**Præses,**

*Ad Præstantissimum*

**DN. RESPONDENTEM, AMICUM SUUM**  
**SINGULAREM.**

**C**um sua quemq; trahat, trahit & BUCHNERE voluptas  
Te tua; sed verè non nisi vera trahit.  
Te trahit, (Astræ resonantia pulpita restor)  
LEGES, Regnorum fortia fulcra loqui.

**Itud**

Istud opus, quam sit laudabile, Fama loquetur,  
Sidera cum feris vertice celsæ poli.

*L. Mg. appesuit.*

Sigismundus à Nimptsch

Eqves Silesius.

**D**um ver purpureâ cinctum, BUCHNERE, coronâ  
Ridet, & æstatis spicea ferta vides:  
Tunc ruit, itq; frequens longum formica per agmen,  
Granifero solitostunc vehit ore cibos.  
Tuuc nec cessantem, rosci soror aurea Phœbi,  
Cervis, nec, rapidi vos Phaetontis equi.  
Hinc, cum prodit hyems canos hirsuta capillos,  
Tendere lætitiæ carbasa plena potest,  
Non tantum metuens inopi formica senectæ  
Hoc facit, ast illud tu quoq;, PAULE, facis.  
Nam vix prima genas tibi vestit flore juventa  
Egregiusq; tuus cernitur ecce labor!  
Cernitur ecce labor tuus inclytus, undiq; PAULE!  
In cathedrâ Themidis cernitur ille labor.  
Pergito! Sic etenim sublimi vertice tanges  
Astra, Themisq; tibi præmia certa dabit.

*Hæc, quamvis nullis elegantioris artifi-  
cii flosculis superbientia, ex sincero ma-  
men sinceri pectoris fonte profluentia, in  
honorem Præstantissimi Dn. Responden-  
tis, volante subiciebat calamo.*

Johannes Brecht.


**F I N I S.**

X 2615918

VJ 17







DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE! *15.*  
ENODATIO *1646*  
**LEG. VII. VIII. IX.**  
**X. TIT. PANDECTARUM**  
POSTREMI, *AM*  
Quæstionibus materiæ subjectæ  
convenientibus illustrata & ad disputandum  
*In Celeberrimâ Academiâ Wittebergensi,*  
Ex decreto atq; Autoritate Amplissimi  
Collegij Juridici proposita. *(3)*  
*ab*  
**HENRICO COSELIO**  
de Pezlinovez J. U. D.  
*Respondente*  
**PAULO BUCHNERO**  
STRALS. POMER.  
*Habebitur*  
*Ad diem XIII Augusti,*  
*horis & loco consuetis.*  
-----  
*WITTEBERGÆ,*  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XLVI.

